Fragmentarium

VIII B 20/92

eum erecto collo: & pingui ceruice armatus
est. Operuit faciem eius crassitudo: & de late-
ribus eius aruina dependet. Habitabit in
ciuitatibus desolatis & in domibus desertis
que in tumulos sunt redacte. Non ditabitur
nec perseuerabit substantia eius: nec mittet
in terra radicem suam. Non recedet de tenebris
ramus eius. arefaciet flumina: & auferetur
spiritu oris sui. Non credat frustra errore deceptus
quod aliquo precio redimendus sit. Antequam
dies eius impleantur peribit: & manus eius
arescent. Ledetur quasi uinea in primo flore
botrus eius: & quasi oliua proiciens florem suum.
Congregatio enim hypocrite sterilis. & ignis
deuorabit tabernacula eorum. qui munera
libenter accipiunt. Concepit dolorem & pe-
perit iniquitatem: & uterus eius preparat
XVI. dolos. Respondens autem iob: dixit. Audi-
ui frequenter talia. Consolatores honerosi:
omnes uos estis. Numquid habebunt finem
uerba uentosa. aut aliquid tibi molestum
est si loquaris? Poteram & ego similia uestri
loqui: atque utinam esset anima uestra pro anima
mea. & consolarer ego uos sermonibus. & moue-
rem caput meum super uos. Roborarem uos
ore meo: & mouerem labia quasi parcens
uobis. Sed quid agam? Si locutus fuero non
requiescet dolor meus. & si tacuero non recedet
a me. Nunc autem oppressit me dolor meus.
& in nichilum redacti sunt omnes artus mei.
Ruge mee testimonium dicunt contra me:
& suscitatur falsiloquus aduersus faciem meam.
contradicens michi. Collegit furorem suum in me:
& comminans michi infremuit contra me
dentibus suis. Hostis meus terribilibus oculis me
intuitus est. Aperuerunt super me ora sua expro-
brantes. percusserunt maxillam meam: saci-
ati sunt penis meis. Conclusit me deus apud
iniquum: & manibus impiorum me tradidit.
Ego ille quondam opulentus: repente contritus
sum. Tenuit ceruicem meam. confregit
me: & posuit me quasi signum. Circum-
dedit me lanceis suis. conuulnerauit lum-
bos meos. Non pepercit: & effudit in terram
uiscera mea. Concidit me uulnere super
uulnus. irruit in me quasi gigas. Saccum
consuit super cutem meam: & operui cinere
carnem meam. Facies mea intumuit fletu.
& palpebre mee caligauerunt. Hec passus
sum absque iniquitate manus mee. cum ha-
berem mundas ad deum preces. Terra non
operias sanguinem meum: neque inueniat
locum in te latendi clamor meus. Ecce enim
in celo testis meus. & conscius meus in excelsis.
Verbosi amici mei: ad deum stillat oculus
meus. Atque utinam sic iudicaretur uir cum deo.
quomodo iudicatur filius hominis cum collega
suo. Ecce enim breues anni transeunt: &
semitam per quam non reuertar ambulo.
XVII. Spiritus meus attenuabitur. dies mei breuiabun-
tur: & solum michi superest sepulchrum. Non
peccaui: & in amaritudinibus moratur oculus
meus. Libera me domine & pone me iuxta
te: & cuiuis manus pugnet contra me.
Cor eorum longe fecisti a disciplina. & propter-
ea non exaltabuntur. Predam pollicetur
sociis. & oculi filiorum eius deficient. Posuit
me quasi in prouerbium uulgi: & exemplum
sum coram eis. Nunc autem derident me
iuniores tempore. quorum non dignabar
patres ponere cum canibus gregis mei. Cali-
gauit ab indignatione oculus meus. & membra
mea quasi in nichilum redacta sunt. Stu-
pebunt iusti super hoc: & innocens contra
hypocritam suscitabitur. & tenebit iustus
uiam suam: & mundis manibus addet for-
titudinem. Igitur uos omnes conuertimini
& uenite: & non inueniam in uobis ullum
sapientem. Dies mei transierunt. cogitati-
ones mee dissipate sunt: torquentes cor.

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/92, Fol. [2]r – Bible
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-5t0u/6725/56549)